





Ad Disputationem
Medico-Chirurgicam Inauguralem,

DE
CURATIONE ULCE-
RUM REBELLIIUM,

Nobilissimo ac Clarissimo

DN. JOH. DANIELE
CRÜGERO,

Plat. Pomeran.

Die 28. Novembr. 1724.

pro obtinendis summis in arte Medica
Honoribus ac Privilegiis
habendam,

*Omnium Collegiorum Primores ac Antistites,
Omnem Literatorum ac Studiosorum Juvenum Ordinem,*

*qua par est observantia & humanitate
invitae.*

JOH. ABRAH. MAYER,
Medic. Doct. ac Profess. Ordinar. Facultatis suæ
h. t. DECANUS.

GRYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.

1724, 3

33

Ad B...
Medico-Chirurgi...
CURATIO...
R...
D...
C...
I...
I...
I...





ARs ista, quæ manuum ope corpori humano, morbis affecto, auxilia spondet & præstat, & quæ inde Chirurgiæ nomen accepit; merito ad antiquissimas pariter ac utilissimas referatur, ut itaq; si ipsa medicina non prior extiterit, eandem tamen una cum illa initium cœpisse omni careat dubio. Prisci enim quia fera ipsis erat juvenum Venus & Apicianis gulæ irritamentis carebant, corpora vero labore durabant: vix alios patiebantur morbos, si ipsum morbum, senectutem excipias, quam illos, qui ab injuria externa proveniebant. Hinc teste Seneca *Epist. 95.* *Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sifteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim.* Et Chironis (à quo ulcerum quoddam genus rebelle chironium dictum fuit, autore Paulo Aegineta de re Medica Lib. 4. Cap. 46.) qui teste Plinio Lib. 7. Cap. 56. Medicinam Herbariam atq; medicamentariam apud Græcos adinvenit, duplex officium inimitabilis Rindarus hoc modo describit in *Pythia. Ode 11.*

Quot quot venerunt ad ipsum sponte natorum alterum participes, aut corrusco ferro membra sauciati; aut saxo eminus misso, vel quibus æstivus ignis depopulabatur corpus, aut frigus, libe-

*rans alium aliis doloribus quosdam eripuit : mollibus incantatio-
nibus tractans ; quosdam vero lenia bibentes, aut membris cir-
cumponens undiqve pharmaca, quosdam etiam sectionibus stare
fecit rectos.*

Hujus vestigiis institerunt Medici, qui primis post
illum seculis vixerunt, ut chirurgiam una cum ipsa
medicina exercerent ; Aut subsequente ætate plurimi
Medicorum, ab egregio hocce instituto discedentes,
missa Chirurgia Medicinam solam excolere ceperunt.
Hinc accidit ut chirurgia, quæ Heroum tempore Medi-
cinam & usû & dignitate superabat, postmodum sub
artis parvæ titulo à quibusdam Medicis fuerit exulta.
Imo, operationes istæ chirurgorum manuales ita apud
quosdam Medicos eviuerunt, ut *Avenzoar Libr. II. Theisr.*
scribere non dubitaverit. *Ad medicum nobilem & honora-
tum non pertinent operationes manuum, sed ad ministros Medi-
corum, ut sunt Pblebatomia, cauterium, incisio arteriarum,
Imo & alia debent facere ministri illi Medicorum, ut est incisio
palpebrarum & elevatio venarum in albedine oculorum & sub-
latio cataractæ. Ad medicum autem honoratum nihil aliud per-
tinere dicimus nisi ut consilium solummodo præstet ciborum medi-
cinarumque infirmo absque operatione manuum. Et de calculi
extractione affirmat, rem illam esse adeo turpem & abomina-
bilem miseramque, ut non tantum non exerceri, sed ne aspi-
ci quidem ab honorato viro debeat. Ita quoque recentiori ætate,
Carolus Musitanus, quondam Confessionarius Innocentii
XII., postmodum vero Medicinæ Professor, in operibus
suis Chirurgicis operationes plerasque Chirurgicas,
quæ igne & ferro peraguntur, venditat pro carnificinis
imo.*

imo tormentis à diabolo ad homines excrucios adin-
 ventis. Ast uti nemo probus imitabitur belluinum
 illum modum, quem in *Trutina* sua *Chirurgica* Monachus
 iste Italus, conjugatis in sterili conjugio viventibus ad
 liberos eo feliciter procreandos tanta fiducia commen-
 dat, ut re ipsa, contra votum castitatis (nisi verum sit,
 quod sanctio ista Pragmatica illos solum obliget eo
 tempore, quando in choro sacris vacant) vesanum istum
 modum expertus videatur. Sic operationes istas chi-
 rurgicas, licet aliquando maximo dolore afficiunt
 ægrotantes, non à diabolo, sed potius à benignissimo
 DEO generi humano manifestatas esse, egregius illo-
 rum usus, quem ægrotis sæpe præstant, docet. Morbos
 enim non solum externos, sed etiam internos, qui
 cæterorum medicamentorum vim eludunt ferro &
 igne subigi posse jamdudum demonstravit doctissimus
 pariter atque exercitatissimus *Marcus Aurelius Severinus*
 in libris suis chirurgicis, quos hanc ob causam *Medicina*
efficacis titulo insignivit. Et sane, si eam ob causam
 quædam operationes chirurgicæ rejiciendæ essent, quia
 dolorem afferunt, etiam Medici illud *Cornelii Celsi* moni-
 tum quod *Libr. 3. Cap. 9. de Medicina* existat: *Est circum-*
specti hominis & novare interdum & augere morbum & febres
accendere, quia curationem ubi id quod est, non recipit, potest
recipere id, quod futurum est, exercere non deberent. Ob
Avenzoaris vero opinionem nullus cordatus Medicus Chi-
 rurgiam despiciet, modo consideret, præminentiam,
 quam huic præ *Medicina* tribuit *Celsus* in præfatione
Libr. 7. his verbis: *Tertiam esse Medicina partem que manus*
curet, & vulgo notum & à me propositum est. Ea non quidem
medica-

medicamenta atque victus rationem omittit, sed manu tamen plurimum præstat, estque ejus effectus inter omnes medicine partes evidentissimus. Siquidem in morbis cum multum fortuna conferat; potest dubitari, secunda valetudo medicina, an corporis beneficio contigerit. In his quoque, in quibus medicamentis maxime utimur, quavis profectus evidentior est, tamen sanitatem & per hac frustra queri, & sine his reddi sepe, manifestum est. Sicut in oculis quoque deprehendi potest; qui à medicis diu vexati, sine his interdum sanescunt. At in ea parte, quæ manū curat, evidens est, omnem profectum, ut aliquid ab aliis adjuvetur, hinc tamen plurimum trahere. Cum vero chirurgia evidenti atque certitudine præ reliquis Medicinæ partibus emineat, quærere quis posset, quare & quo tempore derelicta à plerisque Medicis chirurgia, cuius occupanti fit concessa? Ast de hoc variæ exstant Doctorum sententiæ; Illustri Copringius in 1. Cap. Introductionis in artem medicam, Arabum tempore Chirurgiam à Medicina separatam fuisse existimat. In dedicatione vero librorum Chirurgicorum Thoma Ficini, idem perhibet seculo post CHRISTUM natum VI. inter Arabes præcipue & Barbaros Græcos morem illum novum inolevisse, contagio hinc serpente in occidentalia Europæ regna. Petrus Laurenbergius in Porticu Æsculapii Cap. 9. §. 5. Principium hujus divortii Romanis tribuit. Sed longe ante ista tempora, hocce generi humano nocentissimum discrimen introductum fuisse apparet ex Celsi præfatione in librum primum ubi affirmat circa Herophili & Erasistrati tempora Medicinam in tres partes diductam fuisse, ita ut una esset quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu mederetur. In causas porro si inquiramus, quare fatalis

fatalis hæcce secessio facta sit; primo occurrit *Job. Fernelius*; Hic enim in operibus suis existimat, Medicos omne id, quod manuum ope fieri solet, transtulisse in artis ministros, ut scilicet medicinæ dignitas splendidior esset præstabiliorqve. Jussu vero Senatus Populique Romani hoc factum refert *Laurenbergius l. c.*, qui existimabant, è commodo Reipublicæ futurum, si qui è Medicorum famulis parastatis peculiariter constituti, præficerentur ulceribus vulneribusq; levioribus, citra Medici præsentia curantes, ut sumptibus & impensis sublevaretur populus. Verum labente tempore hanc ministrorum curam aggressam quoque esse morbos graviores, tandemq; eo devenisse rem ut à medicorum famulatio ac imperio sese prorsus subtraxerint, ceperintque titulum Chirurgorum (qui antea non erat nisi medicorum) sibi usurpare peculiaremq; disciplinam & professionem exædificare, qui mos in hunc usque temporis articulum permansit. Hancce *Laurenbergii* sententiam non solum approbat Celeberrimus *Bohnius Libr. de Officio Medici duplici Cap. 22*, sed alias simul adducit causas. Et primo quidem, quod multi commentatorum Chirurgicorum artem tractarint in concreto, i. e. egerint promiscue de omnibus partium externarum affectibus, horumq; non tantum causas & signa, sed curandi quoq; rationem, diæticam & pharmaceuticam pariter ac chirurgicam tradentes, illos affectus chirurgicos appellando, sicqve peculiarem ab aliorum morborum therapia, medendi artem formarint, qualibus systematis vulgatis non potuerit non fieri quin non nulli cæteris Medicinæ partibus spretis, Chirurgicorum tantum.

tum illorum morborum medelæ se applicarent, sibi
 peculiarem à Medicina artem fingerent, seq̃ Chirugos,
 ceteros Medicos Physicos appellarent, re ipsa, non
 chirurgiam solum, sed cætera quoque medendi instru-
 menta raperent, sibi que vi & clam vindicarent. Deinde
 accusat conniventiam, ignorantiam & oscitantiam quo-
 rundam Medicorum. His enim adscribendum esse ait,
 quod artis pars, quæ manu curat, à toto omnimode
 fuerit avulsa. Doctissimus vero *Gælicke de Historia Medi-
 cine universali*, omnem culpam in solos Medicos rejicit,
 plerorumq̃ superbiam, imperitiam, incuriam ac mol-
 litiem accusans. Hisce causis merito addendas esse exi-
 stimo, quasdam ex rationibus istis, quas Celeberrimus
Desharding in Programmate, quod Dissertationi *de Mortis
 curæ præfixum* est, pro stabilienda sententia, quod nihil
 sit arte Medica miserius, adducit. *Neglectum* nempe
*examinis propensionis naturalis, & citatum informationis cursum
 ad morem canis è Nilo.* Ex hisce enim duobus fundi nostri
 calamitatem provenisse facile quilibet perspiciet, modo
 penitius consideret statum artis nostræ sub Hippocrate
 & accessiones illas immensas, quibus ab illius ævo usque
 ad nostra tempora medicina fuit aucta, simulque per-
 pendat non solum requisita, quæ ab artes nostras anti-
 quitate Medicorum maximus requirit & difficultates
 quibus ipsa ars premitur, sed & quam facile ferulacea
 rudis sequioribus temporibus ipsis concedi soleat. In
 lege enim *Hippocrates* requirit. *Quisquis Medicinæ scien-
 tiam sibi vere comparare volet, eum his Ducibus voto sui com-
 potem ferri oportet, Natura, Doctrina, Loco studiis apto, institu-
 tione à puero, industria & tempore.* Et libro de locis in
 homine

homine dicit : *Medicinam cito addiscere non est possibile.*
 Aphorismos vero suos hocce monito incipit, *vitæ brevis,*
ars longa, tempus præceps, experimentum periculosum, judicium
difficile. In Epistolis vero ad Democritum, ingenue fatetur,
 se ad finem medicinæ nondum pervenisse licet jam senex
 sit. Nostro vero ævo, plurimi licet vix medium absol-
 verunt cursum, ipsam jam metam se assecutos esse cre-
 dunt, ideoque coronam lauream, quia quæreea ipsis
 non offertur, postulant & impetrant. Hæc pauca
 pro more recepto præfari libuit, ubi superato examine
 Præ-Nobilissimus DN. CANDIDATUS noster, JOHAN-
 NES DANIEL CRÜGER, in arenam disputatoriam
 deducendus est, dignum se præbiturus, cui Licentia
 concedatur supremos in Arte Medica honores capes-
 sendi. Quod ad ejus vitæ curriculum, hic iterum pro
 recepta consuetudine præmittendum, attinet, accipe
 lector sequentia. Natus est Platoæ ad Regam, in
 Pomerania Orientali, Anno M DCXC VII. Patre VIN-
 CENTIO DANIELE CRÜGERO, r. t. Rectore Scholæ ibi-
 dem, jam Pastore Ecclesiarum Kickerensis, Hinden-
 burgensis & Swartzoviensis, fidelissimo meritissi-
 moque. Matre vero MARIA ELISABETHA PRECHELN,
 Inspectoris Blucheriani, GEORGH PRECHELN, & EVÆ
 SOPHIÆ de REVELN, filia. His Parentibus ortus
 DEOq; ab incunabilis quasi dicatus, prima Christia-
 nismi fundamenta & privatim domi & publice in Schola
 patria addiscere cepit. Jacto deinceps fundamenta
 studiorum humaniorum, quibus præter Theologica
 juncta fuere Græca & Ebræa, (Theologiæ namque
 totum ipsum consecraverant Parentes,) sub Patris
 b insti-


institutione usque ad annum M DCC XI. permanfit.
 Post abiit Neogardiam curæ ac informationi DN. WOL-
 SHLEGGERI, Cantoris eo tempore, jam Pastoris Car-
 censium bene meriti, tradendus. Inde An. MDCCXII.
 Dramburgum translatus, MICHAELIS OLDENBURGH,
 Rectoris, & CHRISTIANI SCHULZII, tunc Cantoris, jam
 Rectoris, institutioni commissus est. Exacto hic in-
 tegro biennio Anno M DCC XIV. à DN. JOACHIMO
 FRIDERICO SCHMIDIO, Theol. Doct. Celeberrimo, tunc
 vero Rectore Collegii, quod Stargardiæ floret, Grö-
 ningiani longe meritissimo, in Civium Collegii istius
 numerum receptus, ZIEROLDUM, STIEGMANNUM,
 ipsum laudatum SCHMIDIUM auditorus. Anno
 MDCCXVII. Gedanum se contulit, studia Theolo-
 gica profecuturus. Quo fine etiam ABICHTII lectio-
 nibus publicis in Formulam Concordiæ & Compen-
 dium Hutteri nec non Hebraicis & Homileticis sedulo
 interfuit, privatim quoq; JOACHIMUM WEICKMANNUM,
 Thesin tradentem audivit. Ad Academias jam tran-
 siturus, Regiomontanam primum elegit, MASECOVII,
 QVANDTII, LANGHANSII, WOLFFII, eruditionem in suos
 conversurus usus. Sed jussu Parentum in patriam ipsi
 fuit redeundum. Hinc Anno M DCC XIX. nostram
 invisit Academiam à Magnifico Summeqve Venerando
 DN. D. GEBHARDI, in numerum Civium recipiendus.
 Porro præeunte DN. ANDREO WESTPHALIO, Philos.
 Profess. in hac Academia Celeberrimo, cursum absol-
 vit Philosophicum, & DN. NICOLAUM KÖPPEN, Lingv.
 Oriental. Profess. famigeratissimum, Collegio harmo-
 nico quatuor Evangelia explanantem, audivit, cæte-
 ras

ras quoque Theologiae partes auspicaturus, si infirma
 corporis constitutio passa fuisset. Ea vero obstante,
 Parentis consilio Medicos Duces eligere eorumque arti
 se tradere constituit, ad quam animum semper expertus
 fuerat propendentem. Factum hoc est Anno M DCC XX.
 à quo tempore praesente DN. D. LEMBKIO, Med. Profess.
 in hac Alma Celeberrimo, Dn. Collega meo est uma-
 tissimo, cursum absolvit Medicum, una cum Collegio
 Physico experimentalis; Meis quoque sese auditorem
 praebens lectionibus perindustrius. Absoluto hic
 triennio, Anno MDCCXXIII. Berolinum profectus
 est, ubi Anatomiae operam daturus sub manu ductione
 Clarissimi DN. BUDEI, Anatomiae ac Physiologiae
 Profess. unum & viginti perlustravit cadavera humana.
 Audivit etiam Clarissimum DN. HENRICI, Consiliarium
 Regis Aulicum, Therapevtices Professorem expertis-
 simum, DN. LUDOLPHUM, Materiae Medicae & Bota-
 nices Professorem, DN. POTT, Chemiae Theoreticae Pro-
 fessorem, DN. NEUMANNUM, Chemiae Practicae Profes-
 sorem, & denique DN. SENFFIUM, Chirurgum & Ope-
 ratorem peritissimum. Inde Saxonicas invisere Aca-
 demias volupe erat, sed Parente venerando aliud magis
 consultum ducente, ad nostram redire Academiam,
 summosque in Arte Medica honores expetere iussus est.
 Quod itaque ut rite fiat, superato examine, jam Dissert-
 atione Inaugurali specimen suae eruditionis exhibet
 futuro 28. die Novembr. publico examini submitienda.
 Hunc ergo actum ut **Magnificus Academiae**
RECTOR, cum Senatu Academico,
Dica-

Dicasterii Regii Director & Consilarii
Generosi, & reliqui Patres hujus Urbis
Prudentissimi, Verbi Divini Ministri
Venerandi, Cives Academiae floren-
tissimi, praesentia sua condecorare non dedi-
gnentur, Facultatis nostrae nomine per-
amanter rogo ac invito.

P. P.

Gryphiswaldiae,
sub Sigillo Facultatis Medicae,
die 26. Novembr.
Anno MDCCXXIV.



Greifwald, Diss., 1706-25

ULB Halle

005 372 038

3



56







1724, 3
33

Ad Disputationem
Medico-Chirurgicam Inauguralem,
DE
CURATIONE ULCE-
RUM REBELLUM,

Nobilissimo ac Clarissimo
DN. JOH. DANIELE
CRÜGERO,

Plat. Pomeran.

Die 28. Novembr. 1724.

pro obtinendis summis in arte Medica
Honoribus ac Privilegiis
habendam,

*Omnium Collegiorum Primores ac Antistites,
Omnem Literatorum ac Studioforum Juvenum Ordinem,*
qua par est observantia & humanitate
invitat.

JOH. ABRAH. MAYER,
Medic. Doct. ac Profess. Ordinar. Facultatis suæ
h. t. DECANUS.

GRYPHISWALDIÆ,
Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.